



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Dvcī Lavanniae, Lantgravio Duringiae, & aliis de regno Alemanniae in  
ultramarinis partibus constitutis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

# Romani Pontificis Lib. I.

7

enim piis orationibus, & nostris & vestris actibus indignatio fuerit divina placa-  
ta, nec residuum terræ nativitatis  
eius tueri poterimus, nec insultus ho-  
stium sustinere; quin immo residuum lo-  
custæ brucus assumet, & sicut novissima  
deteriora prioribus. In jejunio igitur, &  
fletu, & planctu, in operibus pietatis, in  
caritate non facta, in corde contrito, &  
humiliato spiritu, revertamur ad Domi-  
num Deum nostrum; qui pius est, & mi-  
sericors, & præstabilis super malitia;  
commissos nobis populos verbo pariter  
& exemplo ad penitentiam invitantes;  
ut nostris operibus & intentione plac-  
atus, non det hereditatem suam in op-  
probrium & in dominium nationum; ne  
fortè consentiant adversarij nostri, &  
dicant: *Manus nostra excelsa, & non Deus,*  
*fecit hec omnia.* Nos enim propositum  
gerimus & habemus in votis, quantum  
ille permiserit a quo speramus dirigi  
gressus nostros, ad subventionem ve-  
stram efficacius laborare, & liberationi  
Hierosolymitanæ provinciæ, si datum  
fuerit desuper, sollicitius imminere.  
Datum Laterani.

Epist. 11.

**I**N eundem ferè modum MAGNTIN.  
ARCHIEPISCOPO, & Episcopis de re-  
gno Alemannia in ultramarinis partibus  
constitutis, usque in finem. Rogamus in-  
super, & fraternitatem vestram mone-  
mus, & exhortamur in Domino, ac per  
apostolica scripta mandamus, & in re-  
missionem vobis injungimus peccato-  
rum, quatenus scutum fidei & salutis ga-  
leam assumentes, prælium Domini stu-  
deatis viriliter & efficaciter præliari, de  
cœlo auxilium & nostrum etiam subsi-  
dium expectantes. Credimus etenim, &  
pro certo tenemus, quod si corda vestra  
penitentia fuerint medicina purgata,  
& non in multitudine ac fortitudine ve-  
stra spem posueritis, sed in Deo, Philis-  
tæos Israëlita fugabunt, & in loricatum  
Goliam David inermis in funda & la-  
pide prævalebit. Datum Laterani.

DVCI LAVANNIAE, LANTGRAVIO  
Duringie, & aliis de regno Alemannie in  
ultramarinis partibus constitutis.

Epist. 12.  
Ve fine ferven-  
tes in servitu  
Ihsu Christi.

**Q**Vanta sit circa genus humanum  
benignitas conditoris, primæ  
creationis opera, & recreationis mira-  
cula, quæ in fine seculorum dextera Do-

mini voluit operari, immo etiam univer-  
sa quæ in cœlo sunt & in terra, testan-  
tur; cum hominem ad imaginem suam  
creatum, divinitatis suæ voluerit esse  
particem, omnia subjiciens sub pedi-  
bus ejus, oves, & boves universas, insu-  
per & pecora campi; & tandem, ut rui-  
nam nostram repararet, post lapsum pro-  
prio filio suo non pepercit, sed pro no-  
bis omnibus tradiderit illum in crucis al-  
tario immolandum, & cum inquis eum  
permiserit reputari. Vnigenitus siquidem  
Dei filius, ut hominem perditum  
ad regna ecclœ revocaret, à dextra  
patris in inferiores partes terra descen-  
dens, exinanivit semetipsum, formam  
servi accipiens, & se usque ad mortem  
humilians, pro nobis crucis non dubita-  
vit subire tormentum. Quid igitur re-  
tribuemus Domino pro omnibus quæ  
retribuit nobis? Sanè nec tribulatio, nec  
angustia, nec famæ, nec nuditas, aut gla-  
dius, ab ipsis nos debebit aut poterit  
caritate divellere, si exuberantiam be-  
neficiorum ejus circa nos misericorditer  
habitam internæ considerationis  
oculis attendamus. Quin immo secun-  
dum Prophetam calicem salutaris servus  
accipiet, & nomen Domini invocabit.  
Hoc vos diligenter attendentes, ut illud  
evangelicum impleretis, *Qui vult venire*  
*post me, abneger semetipsum, & tollat crucem*  
*suum, & sequatur me,* assumpto crucis si-  
gnaculo ad vindicandam injuriam Iesu  
Christi Hierosolymam petivistiis ad na-  
tiones illas inhumanas & barbaras in di-  
gito Dei fortius edomandas, quæ illo-  
rum etiam sævitiam (quod peccatis no-  
stris ascribimus) sunt in nos sæviendo  
transgressæ quibus Propheta imprecan-  
do declamat: *Deus venerunt gentes in he-*  
*reditatem tuam &c. usque sepeliret.* Ro-  
gamus igitur discretionem vestram, mo-  
nemus attentiū, & hortamur in Domi-  
no, & in remissionem vobis injungimus  
peccatorum, quatenus assumpti laboris  
gravitatem studeatis taliter adimplere,  
prælium Domini prælantes, ut vestris  
exigentibus meritis, de cœlo vobis au-  
xilium ministretur. Cum enim abnegati-  
desideriis carnis, Domino propofue-  
ritis in puritate cordis & corporis mili-  
tare, caven dum vobis existit, ne contra  
votum a vobis in terra vestræ nativita-  
tis emissum, in terra peregrinationis  
vestræ, ubi steterunt pedes Domini, per  
immisionem malorum angelorum con-

## 8 Epistolarum Innocentij III.

fensu pravi operis veniatis, & per hoc modicum fermenti toram massam corruptens, eum vobis reddat offensum sine quo nec residuum terræ nativitatis Domini tueri poteritis, nec incursus hostium sustinere. In eo igitur & non in vestra multitudine confidentes qui docet manus vestras ad prælium & dgitos vestros ad bellum, qui conterit bella, qui currum & exercitum Pharaonis projecit in mare, state in fide, viriliter agite, Philistinorum aciem expugnantes. Nos enim &c. ut suprà. Datum Laterani.

ELECTO ET DECAN. ET MAGNICO LAO  
de Levennes Can. Cameracen.

Epi. 14.  
Super cognitio-  
ne causa que  
inter Præmon-  
stratensem &  
Prumiensem  
Ecclesiæ verti-  
tur super pos-  
sessionibus de  
Hanapia.  
Vide infra epist.  
62. hujus libri.

**I**N nostra præsentia constituti dilecti filii magistri Iac. & N. Atrebaten. procuratores Prumiensis Ecclesiæ, ex parte Abbatis & conventus de rato literas exhibentes, contra Præmonstratensem Ecclesiæ proposuere querelam, afferentes quod cum causa quæ inter ipsas Ecclesiæ super possessionibus de Hanapia vertebaratur, dilectis filiis G. Præposito S. Geronis, R. & S. magistris Colonensi. ab apostolica sede commissa fuisset, ipsi in possessionem rerum, de quibus vertebarat quæstio, Prumiensem Ecclesiæ induxerunt. Præmonstraten. verò appellatione interposita receden-tes, ipsam non fuerunt infra biennium prosecuti. Propter quod Prumienses circa finem biennij confirmationem posse-ssionis suæ à sede apostolica impetrarunt. Elapo vero biennio, ad I. quondam Cameracensem Episcopum & dilectum filium Abbatem sancti Bartholomai, pro Præmonstrateni Ecclesiæ fuit commissio impetrata. Sed memorato Episcopo viam universæ carnis ingresso, per ipsos non fuit quæstio terminata. Prædicti autem Prumienses subsequenter à felicis recordationis Celestino prædecessore nostro ad dilectum filium Abbatem sancti Victoris & bona memoria P. Cantorem Parisien. literas impetrarunt, in quibus continebatur expressum, quod ipsi factum Colonensi judicium facerent observari. Sed quia prædictus Cantor tunc temporis sedem apostolica personaliter visitabat, in illius mandati non fuit executione processum. Tandem vero Præmonstratenes causam eandem venerabili fratri nostro

Episcopo & dilectis filiis Cantori Atrebaten. & Abbatii sancti Bartholomai Noviomen. obtinueré committi: qui post inhibitionem prædictorum Abbatis sancti Victoris & Cantoris Parisiensis, & post appellationem à procuratore Prumiensi. Ecclesiæ legitimè interpositam, dictos Præmonstraten. causa rei servanda in possessionem rerum, de quibus erat controversia, induxerunt. Ceterū dilecti filii Abbas Calmoltensis, Gervasius & Robertus Canonici, & nunci Præmonstratenis Ecclesiæ, ex parte Abbatis & Conventus Præmonstratenis, literis de ratificatione exhibitis, è contra pro sua Ecclesiæ proponere curaverunt, quod antequam supradicti judices Colonien. sententiam pro Ecclesia Prumiensi. proferrent, eo quod propter quasdam minas in præsentia judicium factas, & eorum officio non repressas, advocatum coram ipsis habere non poterant, & quia ad extraprovinciales judices trahebantur, ad sedem apostolicam appellaron. Cujus appellationis suffragio illam dictam dicunt sententiam non tenere: tum quia idem judices, lite nondum contestata coram eis, ablente parte adversa, de proprietate dederunt sententiam: tum quia Præmonstraten. ad prosecutionem appellationis infra biennium speciale nuncium direxerunt. Præterea prefati Cameracensis Episcopus & Abbas sancti Bartholomai, quibus causa fuerat delegata, partibus legitimè citatis, præsentibusque earum procuratoribus legaliter ordinatis, ab eisdem Præmonstraten. testes ad infirmandam dictam sententiam recuperunt. Quorum arrestationem Episcopus & Cantor Atrebaten. & Abbas sancti Bartholomai Noviomen. auctoritate suffulti, de mandato apostolico sententiam Colonien. judicium revocantes, judicaverunt Præmonstratenes possessionem rerum, de quibus fuerat litigatum, debere, sicut ante litem possederant, quiete & pacificè possidere. Nolentes igitur ut ejusdem causæ decisio ulterius prorogetur, prædictorum omnium inquisitionem & decisionem canonicam vestræ duximus experientiæ committendam, per apostolica vobis scripta distictè præcipiendo mandantes, quatenus partibus ad velstram præsentiam convocatis, & inquisita super præmissis & aliis omnibus quæ inter se super eodem negocio duxer-